



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Disputatur de Habacuci patria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DE PROPHETIA HABACUC.

I. Disputatur de Habacuci patria. II. Varie de ejus ætate opiniones proponuntur; III. deinde nostra. IV. Disputatur de libro apocrypho Habacuci. V. Probatur Prophetia Habacuci *ἡλικίας* & antiquitas. VI. Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum.

Disputatur
de Habacuci
patria.

Epiph. & Dor.
De vit. Proph.

1. Mach. 6. 32.
1. Mach. 7. 19.

Varia de
ejus ætate
opiniones
proponuntur.

4. Reg. 4. 16.

Clem. Alex.
Strom. 1.
Epiph. De vit.
Proph.
Hier. Procm.
in libr. 1. Hab.
Dorothei. De
vit. Proph.

deinde nostra.

Hier. Procm.
Comm. in
Dan.
Hab. 1. 6.
Hab. 2. 3.

Hab. 1. 4.
Hab. 1. 13.

4. Reg. 11. 16.

Joseph. Antiq.
libr. 10. cap. 4.

I. DE Habacuci patria & ætate nihilo certiora quam de Nahumo proferre possumus. Quid vestigando tamen & scrutando reperire possumus, experiamur. Patriam designavit Epiphanius *ἡποβολιμαί*, quem secutus est Pseudo-Dorotheus, oriundumque fuisse ait ex tribu Simeon, natum in agro Bethzocher: cujus dictionis cum ambigua sit & parum constans in exemplaribus lectio, Dorotheus vero scribat *Biticuchar*, locum assignare promptum non est. Videndum an is sit, qui sexto capite prioris Machabaici dicitur Bethzachara, Josépho non semel memoratus; an qui sequenti capite Bethzecha appellatur. Ait idem Epiphanius adventante in Judæam Nabuchodonosore Habacucum fugisse Ostracinen, (quam urbem in Ismaëlitica terra collocat,) ad Cassiotidem usque, in qua Ostracinen Ptolemæus statuit, Ismaëlitarum fines prorogans; post discessum vero Chaldæorum rediisse in patriam, in eaque tandem fuisse sepultum. Quæ perperam accepta Dorotheus interpretando pervertit. Alii Levitica ipsum tribu prognatum fuisse volunt, & in urbe Ceila sepultum. Eusebius quidem narrat in Topicis sua ætate sepulcrum Habacuci Ceilæ monstrari solitum fuisse.

II. In ætate vero deprehendenda viri eruditi in varias opiniones discessere. Existimantur Ebraei veteres filium fuisse Sunamitidis mulieris, quem vitæ restituit Elisæus, quemadmodum Jonam Sareptanæ filium ab Elia ad vitam revocatum fuisse rati sunt; argumento ducto ex convenientia nominis Habacuc, cum verbis, quibus Elisæus Sunamitidi filium pollicitus est: *הבאת בן* *amplecteris filium*; quæ Rabbinnicæ nugæ sunt. Saniora senserunt Judæi recentiores, in Manassis tempora Habacuci vaticinium conferentes. Ita Seder olam, Rabbah & Zuthah: unde Abrabaniel, & Rabbitorum greges sua hausere. Josiæ ætati assignant alii; Sedecia & Jeremiæ, Clemens Alexandrinus & Pseudo-Epiphanius; Danielis etiam, idem Epiphanius, Hieronymus, Dorotheus, & alii, que complures, quibus placet non alium esse Habacucum hunc, quam qui cibaria ad Danielem inter leones jacentem ab Angelo vectus detulit, biennioque ante obiit, quam libertatis compotes facti Judæi in patriam remeassent. A quo tempore ad Elisæum retro computantur anni trecenti circiter & quinquaginta; quo intervallo Habacucum fuisse constat; sed in loco intra hos limites accurate definiendo laborant Interpretes.

III. Ego vero & supra jam dixi, cum de Daniele agerem, & nunc etiam asserantius dico geminum fuisse Habacucum, alterum Danielis obsonatorem, alterum hunc Prophetam Manassis coævum, de tribu Simeonis, cum illum Levitica prognatum esse declaret titulus historiae Beli & Draconis, quem ex editione Septuaginta Senum repræsentat Hieronymus. Chaldæorum certe adversus Judæos expeditionem præcessit, quam & prædixit: *Quia ecce, inquit, ego suscitabo Chaldæos. Chaldæorum ipsorum vastationem, sic tanquam rem nondum instantem, sed multis post annis eventuram denuntiat: Quia adhuc visus procul, & apparet in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* His autem tangi videntur Manassis Hagitia: *Lacerata est Lex, & non pervenit usque ad finem judicium: quia impius praevalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Rursum: *Quare aspicias super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorum se?* Ista omnino his adstant, quæ de Manasse narrat posterior liber Regum: *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os; absque peccatis suis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino.* Addit Josephus, Deum intentatis ipsi per Prophetas minis ad meliorem mentem revocare ipsum frustra voluisse, cum interea novis sese alligaret sceleribus, & aliquem è Prophetis quotis quibusque diebus supplicio afficeret. Cum autem post Babylonicum exilium mores in melius commutavit, plane dicendum est Habacuci vaticinium ad priora illa & nefaria Manassis tempora pertinere: nec abluat à vero prædictionem illam Chaldaicæ irruptionis, non solum